

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1226

Auteur(s) : Guillaume de Blary [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1260, mars

Lieu d'émission : Canchy

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Blary, du consentement de son frère Raoul, donne au chanoine Osbert de Canoville et, après lui, pour son obit, en pure et perpétuelle aumône, au chapitre de Bayeux plusieurs hommages et redevances sur des tenements à Canchy : Osbert lui paie 27 deniers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCXLV, t. 2, p. 172-174.

Dissertation critique

Mars 1259 est proposé par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

[Sciant omnes præ]sentes et futuri quod ego Willelmus de Blareio, de assensu et voluntate Radulfi de Blareio, fratris mei [primogeniti] [de]di et concessi viro venerabili domino Osberto de Quanovilla, canonico Baiocensi, pro vinginti (sic) et septem [denariis (?) quos ego] et prædictus frater meus ab eodem Osberto de Quanovilla habuimus et recepimus in pecunia numerata, homa[gia[.....]quæ] nobis reddebant per homagia de me Willelmo[.....][prim]ogenito : quæ tenementa sita sunt in territorio parrochiæ de Kaencheio. Videlicet, per manum Ricardi[.....]frumenti, ad mensuram Baiocensem, in septembri, unam gallinam ad Natale Domini, et decem ova ad Pascha, [de][.....][terræ] et dimidia sitæ inter duos rivos, inter terram Textoris ex unaquaque parte ; per Radulfum[.....]decim bossellos frumenti, ad mensuram de Quaencheio, duas gallinas et vinginti (sic) ova ad dictos terminos, de di[.....][u]na pecia sita est in monte de Quaencheio, inter terram Philippi Conart, ex una parte, et terram Willelmi de Buron, ex altera ; per manum (sic), et alia pecia terræ sita est inter terram Herberti Lochart, ex una parte, et terram Henrici Gare ex altera ; per manum Thomæ Teophaniæ, decem bossellos frumenti, ad mensuram de Quaencheio, in septembri, duas gallinas ad Natale, et vinginti (sic) ova ad Pascha, de masuagio suo sito inter porprisium Herberti Lochart, ex una parte, et terram Rogeri de Beaumies, ex altera ; per manum Ricardi Gare, duos quartarios frumenti, ad mensuram Baiocensem, duas gallinas, et vinginti (sic) ova ad terminos prædictos, de una virgata terræ sita inter domum Ricardi Daust (?), ex una parte, et terram Rogeri de Beaumies, ex altera, et de una pecia terræ sitæ inter terram Ansquetilli de Curia, ex una parte, et terram Roberti Gitisier (?), ex altera ; per manum Thomæ Ansgot, quatuordecim bossellos frumenti, ad mensuram de Kaencheio, in septembri,

de dimidia acra terræ, cujus una virgata sita est Acuy (?), inter terram Nicholai Valteri, ex una parte, et terram filiæ Willelmi Gare, ex altera, et alia virgata sita est inter magnum queminum, ex una parte, et terram Nicholai Gare et terram Johannæ Putois ex altera ; per manum Ansquetilli de Curia, unum caponem ad Natale, de masnagio suo sito inter queminum, ex una parte, et masuagium Herberti Lochart, ex altera ; per manum Nicholai Leprevoust, tres boissellos frumenti, ad mensuram de Quaencheio, in septembri, de una pecia terræ sitæ inter terram Ricardi Senot, ex una parte, et terram Radulfi Ranulfi, ex altera: tenenda et habenda dicto canonico, quamdiu vivet, prædicta homagia, cum dictis redditibus, et cum omnibus quæ ego et prædictus frater meus habebamus et quæ nobis aut nostris hæredibus possent in dictis tenementis et eorum quolibet accidere in futurum, et etiam cum una virgata et dimidia terræ quas habebamus in dicto territorio, cujus una virgata sita est inter terram Roberti Tustini, ex una parte, et terram Alarchier, ex altera, absque aliqua reclamatione nostri vel hæredum nostrorum in prædictis omnibus amodo faciendis vel in aliquo præmissorum, salvis tamen capitulo Baiocensi quatuor solidis et quatuor denariis Turonensibus quos idem capitulum annui redditus percipiebat antea in præmissis. Quo redditu ipsius capituli excepto, omnia prædicta, prout superius sunt expressa, post decessum dicti canonici, pro ejus anima, Deo et ecclesiæ Baiocensi, in puram et perpetuam elemosinam, libere et sine contradictione aliqua, remanebunt distribuenda annis singulis, secundum consuetudinem dictæ ecclesiæ, canonicis et clericis de choro qui, die obitus ejusdem canonici recolendi, in dicta ecclesia interfuerint ad ejus obitum recolendum. Et hæc omnia prædicta, prout sunt expressa, nos fratres prædicti et hæredes nostri tenemur et debemus dicto canonico, quamdiu vivet, et post ejus decessum, dictæ ecclesiæ garantizare et defendere contra omnes, vel excambiare alibi in nostra hæreditate, valore ad valorem, pro prædictis denariis quos ob hoc habuimus a canonico supradicto. Et, ut hoc sit firmum et stabile in perpetuum, nos fratres prædicti istud præsentis carta nostris sigillis confirmavimus coram parrochia supradicta. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense martii.